

Band III., Nr. 892, Seite 392-395

Papst Gregor IX. bestätigt dem Kloster Schöntal seinen Besitz und dessen sämtliche, schon vorher zuerkannten Begünstigungen.

Viterbo, 1237. Mai 21.

Gregorius episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis . . . abbati monasterii Speciose Vallis eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis iucursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus et monasterium sancte dei genetricis et virginis Marie Speciose Vallis, Herbipolensis diocesis, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum deum et beati Benedicti regulam atque instit[ut]ionem Cisterciensium fratrum a vobis ante concilium generale susceptam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium impresentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis, prestante domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, grangiam in Brechelberc cum pertinentiis suis, curtem et domos seculares quas habetis in civitate Herbipolensi et vineas positas in territorio civitatis eiusdem, grangiam de Binswangen^a cum pertinentiis suis, grangiam in Durnen¹ cum pertinentiis suis, grangiam in Eseldorfe cum pertinentiis suis, grangiam in Berlehhyngin cum pertinentiis suis, grangiam in Hallesberc cum pertinentiis suis, grangiam in Escenouwe² cum pertinentiis suis, grangiam in Gumersdorf

^aAnfangs stand *Binswagen*, eine spätere Hand hat einen Querstrich über das *a* gesetzt.

¹Kochertürn, Neuenstadt am Kocher, HN.

²Die Wüstung Eschenau, Schöntal, KÜN (Das Land Baden-Württemberg. Amtliche Beschreibung nach Kreisen und Gemeinden, hrsg. Von der Staatlichen Archivverwaltung / Landesarchivdirektion Baden-Württemberg, 8 Bde., Stuttgart 1974-1983, Bd. 4, S. 250). Das WUB gibt hingegen an: „schwerlich Eschenau, Vellberg, SHA, oder Eschenau, Obersulm, HN, wahrscheinlicher der Eschenhof, welcher Ende des 13. Jahrhunderts den Namen Eschenau führte (laut Schöntaler Urkunden). Dass der in WUB Bd. III, S. 164, Nr. 684, vorkommende abgegangene Weiler Eschach ebenfalls mit dem Namen Eschenau bezeichnet wurde, ist dort angegeben.“

II

cum piscaria et aliis pertinentiis suis, grangiam Cestam^{b3} cum pertinentiis suis, possessiones in Bir[in]gin cum piscaria et aliis pertinentiis suis; in Odehem^c, in Hestelingin^d, in Halle in Chessa⁴, in Helicprutinen^{e5}, in Bochingin, in Gelmersbach, in Grubimbach⁶ et in Hillisfelt⁷ possessiones cum pertinentiis suis, salinam in Alle⁸ cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis, in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane laborum vestrorum de possessionibus habitis ante concilium generale ac etiam novalium, que propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus novalibus aliquis hactenus non percepit, sive de ortis, virgultis et piscationibus vestris vel de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere ac eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine abbatis sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Quod si quis retinere forte presumpserit, licitum vobis sit in ipsos monachos vel conversos regularem sententiam promulgare. Illud districtius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesie vestre collatum liceat alicui personaliter dari sive alio modo alienari absque consensu totius capituli vel maioris aut sanioris partis ipsius. Si que vero donationes aut alienationes aliter quam dictum est facte fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hec etiam prohibemus, ne aliquis monachus sive conversus sub professione domus vestre astrictus sine licentia et consensu abbatis et maioris partis capituli vestri pro aliquo fideiubeat vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat ultra summam capituli vestri providentia constitutam, nisi propter manifestam domus vestre utilitatem. Quod si facere forte presumpserit, non teneatur conventus pro hiis aliquatenus respondere. Licitum preterea sit vobis in causis propriis, sive civilem sive criminalem contineant questionem, fratrum vestrorum

^bSo die Urkunde.

^cUrsprünglich stand *Wodehom*, eine spätere Hand strich das *W* und machte *hem* aus *hom*.

^dUrsprünglich stand *Heostelingen*, eine spätere Hand strich das *o*.

^eSo die Urkunde.

³Es wird kaum ein anderer Ort darunter zu verstehen sein, als Kessach. Da dieser unten noch einmal aufgezählt wird, so müsste der eine auf Ober-, der andere auf Unterkessach zu deuten sein.

⁴Vgl. die obige Anmerkung zu Cestam.

⁵Heilbronn.

⁶Ober- und Untergruppenbach.

⁷Ilfeld.

⁸Niedernhall.

III

testimoniis uti, ne pro defectu testium ius vestrum in aliquo valeat deperire. Insuper auctoritate apostolica inhibemus, ne ullus episcopus vel quelibet alia persona ad synodos vel conventus forenses vos ire vel iudicio seculari de vestra propria substantia vel possessionibus vestris subiacere compellat, nec ad domos vestras, causa ordines celebrandi, causas tractandi vel aliquos conventus publicos convocandi venire presumat, nec regularem electionem abbatis vestri impediatur, aut de instituendo vel removendo eo qui pro tempore fuerit contra statuta Cistertiensis ordinis se aliquatenus intromittat. Si vero episcopus, in cuius parrochia domus vestra fundata est, cum humilitate ac devotione qua convenit requisitus, substitutum abbatem benedicere et alia que ad officium episcopale pertinent vobis conferre renuerit, licitum sit eidem abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios novitios benedicere ac alia que ad officium suum pertinent exercere et vobis omnia ab alio episcopo percipere que a vestro fuerint indebite denegata. Illud adicientes ut in recipiendis professionibus, que a benedictis vel benedicendis abbatibus exhibentur, ea sint episcopi forma et expressione contenti, que ab origine ordinis noscitur instituta, ut scilicet abbates ipsi episcopo, salvo ordine suo, profiteri debeant et contra statuta ordinis sui nullam professionem facere compellantur. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesiarum sive pro oleo sancto vel quolibet ecclesiastico sacramento nullus a vobis sub obtentu consuetudinis vel alio modo quicquam audeat extorquere, sed hec omnia gratis vobis episcopus diocesanus impendat. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem apostolice sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur impendat. Quod si sedes diocesani episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis, sic tamen ut ex hoc in posterum proprio episcopo nullum preiudicium generetur. Quia vero interdum proprii episcopi copiam non habetis, si quem episcopum, Romane sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentem et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum et vestium, consecrationes altarium et ordinationes monachorum auctoritate apostolice sedis recipere valeatis. Porro si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel personas inibi constitutas suspensionis, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam in mercennarios vestros, pro eo quod decimas sicut dictum est non persolvitis sive aliqua occasione eorum que ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros pro eo quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate prestiterint, vel ad laborandum adiuverint in illis diebus in quibus vos laboratis et alii feriantur, eandem sententiam protulerint, ipsam tanquam contra sedis apostolice indulta prolatam decernimus irritandam. Nec littere ille firmitatem habeant quas tacito nomine Cistertiensis ordinis

IV

et contra indulta apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari. Preterea cum comune interdictum terre fuerit, liceat vobis nichilominus in vestro monasterio, exclusis excommunicatis et interdictis divina officia celebrare. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine providere volentes auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere seu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas, nec non libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove com[m]onita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Ihesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Ihesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

(*Rundzeichen*.^f) Ego Gregorius, catholice ecclesie episcopus subscripsi. (*Monogramm für Bene valete.*)

- + Ego Iohannes, Sabinensis episcopus, subscripsi.
- + Ego Iacobus, Tusculanus episcopus, subscripsi.
- + Ego Romanus, Portuensis et sancte Rufine episcopus, subscripsi.
- + Ego Rainaldus, Ostiensis et Velletrensis episcopus, subscripsi.
- + Ego frater Iacobus, Penestrinus episcopus, subscripsi.
- + Ego Thomas, tituli sancte Sabine presbyter cardinalis, subscripsi.
- + Ego Iohannes, tituli sancte Praxedis presbyter cardinalis, subscripsi.

^fMit *Sanctus Petrus* und *Sanctus Paulus* in den beiden oberen und *Gregorius papa VIII.* in den beiden unteren Kreisvierteln und dem Wahlspruch: + *fac mecum domine signum in bonum* zwischen den Randlinien.

- + Ego Guifredus, tituli sancti Marci presbyter cardinalis, subscripsi.
- + Ego Sinibaldus, tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, subscripsi.
- + Ego Stephanus, sancte Marie trans Tiberim tituli Calixti presbyter cardinalis, subscripsi.
- + Ego Rainerius, sancte Marie in Cosmidin diaconus cardinalis, subscripsi.
- + Ego Egidius, sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis, subscripsi.

Datum Viterbii, per manum magistri Guillelmi, sancte Romane ecclesie vicecancellarii, XII. kalendas Iunii, indictione decima, incarnationis dominice anno M^o. CC^o. XXX^o. VII^o., pontificatus vero donni Gregorii pape VIII., anno undecimo.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

Die ehemals anhängende Bulle ist ebenso wie die Schnur verloren. Auf dem Rücken der Urkunde steht *Cistertium*.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Ludwigsburg

Signatur/Titel des Originals:

B 503 I U 15

Regesten:

AUGUST POTTHAST (HRSG.): Regesta pontificum Romanorum inde ab anno post Christum natum MCXCVIII ad annum MCCCIV, 2 Bde., Berlin 1874-75, S. 880, Nr. 10372. Württembergische Geschichtsquellen, Bd. 5, S. 4, Nr. 12. FRIEDRICH PIETSCH (BEARB.): Die Urkunden des Archivs der Reichsstadt Schwäbisch Hall, Bd. 1, Stuttgart 1967 (Veröffentlichungen der Staatlichen Archivverwaltung Baden-Württemberg, 21), Bd. 1, S. 11, Nr. 28. TILMANN SCHMIDT: Die Originale der Papsturkunden in Baden-Württemberg: 1198-1417, 2 Bde., Vatikan 1993 (Index actorum Romanorum pontificum ab Innocentio III ad Martinum V electum, 6,1-2), Bd. 1, S. 71, Nr. 153.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Viterbo

Aussteller:

Gregor IX.; Papst

Ortsindex:

Berlichingen Wohnplatz (2645)

Berlichingen, Schöntal, KÜN

Bieringen Wohnplatz (2646)

Bieringen, Schöntal, KÜN

Binswangen

Brechelberg Wüstung (22023)

Brechelberg, Schöntal, KÜN, W

Böckingen Wohnplatz (1771)
Böckingen, Heilbronn, HN
Eschenau Wohnplatz (2305)
Eschenau Wohnplatz (3458)
Eschenau Wüstung (25638)
Eschenau, Obersulm, HN
Eschenau, Schöntal, KÜN, W
Eschenau, Vellberg, SHA
Eschenhof Wohnplatz (2405)
Eschenhof, Ingelfingen, KÜN
Eselsdorf Wüstung (22044)
Eselsdorf, Zweiflingen, KÜN, W
Gellmersbach Wohnplatz (2232)
Gellmersbach, Weinsberg, HN
Gommersdorf Wohnplatz (2417)
Gommersdorf, Krautheim, KÜN
Halsberg Wohnplatz (2648)
Halsberg, Schöntal, KÜN
Heilbronn Wohnplatz (1773)
Heilbronn, HN
Heßlingshof Wohnplatz (2649)
Heßlingshof, Schöntal, KÜN
Ilsfeld Wohnplatz (1993)
Ilsfeld, HN
Kloster Schöntal Wohnplatz (2651)
Kloster Schöntal, Schöntal, KÜN
Kochertürn Wohnplatz (2137)
Kochertürn, Neuenstadt am Kocher, HN
Niedernhall Wohnplatz (2557)
Niedernhall, KÜN
Obergruppenbach Wohnplatz (2220)

VIII

Obergruppenbach, Untergruppenbach, HN
Oberkessach Wohnplatz (2656)
Oberkessach, Schöntal, KÜN
Oedheim Wohnplatz (2159)
Oedheim, HN
Ostia, Latium, Italien
Palestrina, Latium, Italien
Porto, Latium, Italien
Rom, Latium, Italien
Sabina
Santa Rufina, Latium, Italien
Schwäbisch Hall Wohnplatz (3361)
Schwäbisch Hall, SHA
Toscolano, Lombardei, Italien
Untergruppenbach Wohnplatz (2224)
Untergruppenbach, HN
Unterkessach Wohnplatz (2247)
Unterkessach, Widdern, HN
Velletri, Latium, Italien
Viterbo, Latium, Italien
Würzburg, WÜ